



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

CLXXXII. Aliud mandatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

vis maritus sit, nihil aliud agat &c. *ut supra pag. 479.*

Aliud mandatum.

CLXXXI. Domino magnifico fratri illi, ego ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter me senectus adgravat, & infirmitas domat, ut causas meas minime valeam profequi vel admallare. Propterea precor & supplico caritati tuæ &c. *ut supra pag. 449.*

Aliud mandatum.

CLXXXII. Legibus institutum est & consuetudine per tempora conservatum ut quicumque advocatum instruere velit, mandato legaliter dato atque sollempniter confirmato eum instruere debeat &c. *ut supra pag. 441.*

Aliud mandatum.

CLXXXIII. Magnifico fratri illi, ego ille. Omnibus non habetur incognitum quam me gravis ægrotudo domet, ut elemosynam meam minime valeam procurare. Propterea rogo caritatem tuam ut propter Deum de rebus meis in vice mea elemosynam facere vel dispensare debeas. Pro hoc trado tibi à die præsentis omnes res meas in pago illo, in loco cuius vocabulum est ille, id est, terris, mansis, domibus, ædificiis, quantumcunque visus sum tenere, totum & ad integrum, quicquid dici aut nominari potest, tam de alode, aut de comparato, vel de quolibet adtractu, in quibuscunque pagis aut territorii visus sum habere, totum & ad integrum, rem inexquisitam, per meos vvadros aut andelantos, per hoc mandatum ad meam elemosynam faciendam in pauperes vel sacerdotes tibi trado, ut quicquid exinde egeris gesserisve, apud me in omnibus & ex omnibus ratum & aptum atque transactum definitumque esse cog-

noscas. Et, quod nec fieri credo, si ego ipse aut aliquis. & reliqua.

De formatis.

CLXXXIV. Græca elementa litterarum numeros exprimere nullus qui tenuiter Græci sermonis notitiam habet ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos Latinus formatas vocat, aliqua fraus falsitudinis temerè præsumeretur, hoc à patribus cccxviii. Nicææ congregatis saluberrimè inventum est & constitutum, ut formatæ epistolæ hanc calculationis seu supputationis habeant rationem; id est, ut adsumantur in supputationem prima Græca elementa Patris & Filij & Spiritus sancti, hoc est, Π. Υ. Α. quæ elementa octogenarium quadragesimum & primum significant numerum. Petri quoque Apostoli prima littera, id est, Π. qui numerus octoginta significat; ejus qui scribit epistolam, prima littera; cui scribitur, secunda littera; accipientis, tertia littera; civitatis quoque de qua scribitur, quarta; Indictionis quoque, id est, temporis qui fuerit numerus adfirmatur. Atque ita his omnibus litteris Græcis, quæ, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, quæcunque collecta fuerit summa, epistola teneat, hanc qui suscipit, omni cautela requirat expressè. Addat præterea separatim in epistola etiam nonagenarium & nonum numerum, qui secundum Græca elementa significatur.

Litteræ commendatiæ.

Sancto & Deo amabili Magnoni dono Dei Archiepiscopo ex Senonica urbe. Ego enim in Dei nomine Ebroinus dono Dei Archiepiscopus ex Biturige urbe &c. *ut supra pag. 443.*

